



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

De interdicto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

Ad tertium ita respondemus, quod qualibet iusta lex habet, & habuit originem à ratione vniuersali naturali, quae dicitur, ratione viuendum fore nihil iniquum agendum, aut statuendum. Quod iuris naturalis principium vniuersale est, & immutabile: sicuti & immutabilia sunt omnia, quae ex hoc principio necessario sequuntur: atque ita nulla lex vnquam ferri potuit, nec potest, quae iniusta sit, & ideo contraria huic principio iuris naturalis. Sed quoad particulares actus, & leges speciales constat, aliquam legem olim Reipublica congruam, & iustam, modo non conuenire communitati, & ideo iniustam esse, ac reuocari posse. Humana siquidem lex qua ex parte ius habet naturale, scilicet ratione viuendum fore, mutari nequit. Sed quo casu ratione viuamus, ostendit mutatio temporum, hominum, & morum ciuilium. vt eleganter S. Thom. explicat in *3a questione 97. articulo 1.* Vnde quia lex est constans, ac perpetua voluntas, omnes equidem leges licet pro tempore, locorum, hominumque ratione sint mutabiles, nisi ex ratione dependant immutabilis legis, pro legibus non sunt habenda: propterea autem immutabilis est voluntas, quoniam dependet ex ratione perfecta, qua nihil est nec certius, nec antiquius.

Ex quibus apparet, non omnibus communitatibus Reipublicis, aut ciuitatibus eandem leges conuenire, vel vtilis esse: tamen si omnibus conueniat, & proprium sit, ratione, & iure ad iustitiae normam, & regulam institutas esse. qua de re sunt pulchra Aristotelis verba, libro 5. *Ethic. capit. 7. Simili*, inquit, *modo non naturalia, sed humana iura, non eadem vbi que sunt.* Nam neque Respublica apud omnes est eadem, sed vna tantum vbi que, ea est secundum naturam, quae optima est. Hac Aristoteles, qui vnam esse censet vbi que Rempublicam secundum naturam, quae optima sit, id est, quae naturali ratione ad communem utilitatem regitur. Qua tamen ratione perpena, & obseruata, non eadem conueniunt omnibus Reipubl. ad hunc etenim sensum Michael Ephesius locum Aristotelis ibidem eruditissime interpretatur.

Qua ratione qui veteres historicos legerit, quique variarum provinciarum leges perdidit ab initio orbis conditi vbi que constitutas, dubio procul deprehendet, quantum hominibus licuerit varie in condendis legibus de ipsa communi utilitate decernere: ac plane suo iudicio censere, leges aliquot risu dignas esse, quas si illius Reip. statum nouisset, omnino necessarias fuisse illi communitati existimaret. Veteres tamen leges non temere mutandas esse, nec nouas passim, & absque delectu ferendas, praeter alios docuit olim Zaleucus Locrensis legislator, qui eam legem tulit, vt si quis nouam legem laturus esset, eam ad populum circumposito ceruici laqueo ferret: vt nisi ob eximiam eius utilitatem probata foret, laqueo tractus suffocaretur, & morte periret. Quod constat ex Demosthene contra Timocratem & Hieroclem apud Stobaeum, *serm. 37.* idem fere tradit Polybius *lib. 12.* & de Charonda Thurij lege Diodorus Siculus, *lib. 12. bibliotheca.*

§. PRIMVS.

De interdicto.

SUMMARIUM.

- 1 Interdicere quid sit?
- 2 Interdictum ecclesiasticum, qualiter desiniri possit.
- 3 Interdictum ab ingressu ecclesiae, quid possit agere, & qua sint ei uetita.
- 4 Interdictum ecclesiasticum decernitur saepissime in locum, vel plebem ob vniuersam culpam.
- 5 Interdictum ecclesiasticum, an possit ferri ob debitum pecuniarium.
- 6 Interdictum hoc quandoque in locum, quandoque in personas pronuntiatur: & quid hoc referat?
- 7 Traditio intellectus ad text. in c. si sententia, hoc tit. & libro.
- 8 Interdicta ciuitate, an suburbia censeri debeant interdicta: & inibi late interdictum, c. si ciuitas, eo tit.
- 9 Interdictum quoddam est speciale, quoddam generale.
- 10 Excommunicatio, quomodo differat ab interdicto ecclesiastico?

Sane à nostris dudum fuit praedecessoribus constitutum, vt in terris seu locis ecclesiastico suppeditis interdicto nulla certis casibus, & sacramentis exceptis, diuina celebrantur officia, vel ministrentur ecclesiastica sacramenta.

Hinc tandem oportet, materiam interdicti ecclesiastici exordiamur, quid interdictum sit, praenotantes. Interdicere namque propria significatio censet prohibere, ac ve-

tere, ne quid fiat, vnde apud Iuriconsultos interdicta passim traduntur proprie quidem prohibitoria, vt quidam cogitatoria, siue exhibitoria interdicta appellari, sicuti auctor est Iustinianus in *princip. Instit. de interdict.* Quod alibi tractabitur. Nunc enim ad propositam cognitionem illius erit satis, quod interdicere sit prohibere, aut vetare: re quidem vetita per ablatiuum frequentius: raro per accusatiuum, ipsa vero, cui sit prohibitio, per datiuum casum expressis, & significatis. Paulus sane Iuriconsul. in *l. vi. ff. de praedictis*, interdicere alicui arte sua. Suetonius in Augusto ad tenentem ob ingratum, & maleuolum animum domo, & prouinciam interdicere, idem Suetonius in Nerone: & cum interdictum vsum Amethystini & Titij coloris, proclibit cunctos negotiatores quandoque tamen actiue, & passiuè subaudiuntur hi casus, quod latine lingua auctores passim ostendunt. Cicero pro *domo sua*, uelitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua & igni interdicatur. Plinius in epistolis, carent enim togae uere quibus aqua & igni interdictum est. Nam, vt obiter hoc ipsum explicemus, Lactantius Firmianus libro 2. *Institutionum diuinarum, capitulo 10* inquit, ideoque à veteribus institutum est vt sacramento ignis & aquae nuptiarum foedera sancirentur, quod foetus animantium calore & humore corporentur, atque auimentur ad vitam, cum enim conllet omne animal ex anima & corpore, materia corporis in humore est, anima in calore, quod ex auium foetibus datur scire, quos crassi humoris plenos, nisi opifex calor fouerit, nec humor potest corporari, nec corpus animari. Exulibus quoque igni & aqua interdicti solebat: adhuc enim videbatur nefas, quamuis malos tamen homines, supplicio capitis afficere. Interdicto igitur vsum earum rerum, quibus vita constat hominum, perinde habebatur ac si esset, qui eam sententiam exceperat morte multatus. Adeo ista duo elementa prima sunt habita, vt nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare. Haec tenus Lactantius, cuius etiam meminit ad interdictum aquae & ignis Budaeus in *leg. penultim. de donat. inter vir. & vxor.* quo in loco Iuriconsultus mentionem fecit solennitatis nuptialis, quae aqua & igni fieri solebat. Hac igitur in parte interdictum prohibitio quadam est diuinorum officiorum, cum iudex ecclesiasticus alicui ciuitati interdicti diuinis officijs. Nam & apud Pontificias constitutiones constat, interdictum prohibitionem esse, sub tit. *de matrimonio contra act. contra interdictum ecclesiae.* maxime *cap. 2. & 3. sic.* Cicero pro *Cecina dixit*, atque interdictum pertinet, id est prohibitio, sic Regia. *q. tit. 9. part. 1.* interdictum Hispanice appellat, *vedamieno.*

Potest autem interdictum hoc ecclesiasticum dici quodam personam aliquam specialem, aut singularem: tamen quoad plures personas, & quoad locum, idcirco in hunc modum congrue definitur: interdictum est ecclesiasticum est suspensio ab diuinorum officiorum, sacramentorumque actiua & passiuè celebratione, respectu alicuius loci, vel personarum facta, ecclesiastica etiam prohibens sepultura quod interdictum hoc sit suspensio, non poterit negari, id etenim passim probatur, maxime in *capitu. non est vobis de spons. capitu. quod in te. de penit. & remis.* & in praesenti constitutione, quibus in locis etiam constat, non esse simplicem suspensionem, sed quae suspendat ab officiorum diuinorum, & sacramentorum celebratione, perceptione, & collatione, item ab ecclesiastica sepultura. *capit. si ciuitas, supra tit. in. quod personas afficiat hoc interdictum quandoque, & frequentissime, probatur in cap. si sententia. & cap. si isto tit. & de loco est satis aperta probatio in praecitatis autoritatibus.*

Sub hac vero diffinitione minime continetur, is cui est interdictum ecclesiae ingressus, nam is optime poterit extra ecclesiam celebrare diuina officia, sicuti notant glossae communiter recepta in *cap. si cui. super ist. tit. gloss. in cap. vi. de offic. in. ist. lib. Innocen. Henri. colum. penult. Abb. & Felin. num. 8. in cap. sacro. extra ist. tit. quorum opinio communis est, & probatur in *capitu. praesenti. 5. quae. 2.* poterit item iurisdictionem ecclesiasticam vbiunque exercere, ea enim suspensus non est. *gloss. in d. sacro. in verb. interdictum. quam sequuntur Doct. ibi. Abb. in cap. ab excommunicato. colum. 4. de reser. pi. Franc. post alios in cap. 1. §. si quis. supra eod. Ioan. Mylis in verbo, suspensus. etenim de hoc, cui interdictus est ecclesiae ingressus, vltimus hic minime disputabimus, quippe qui opinemur, hoc interdictum multum differre ab eo, de quo in huius capit. examinatione actum sumus, tamen & ad interdictum ingressu ecclesiae possit vt**

omnia expendamus, & diffinitio prædicta commode indu-

circum in ea de interdictis personis mentio fiat, licet non

ita vniuersale sit hoc interdictum ingressus ecclesiæ, verum

siquidem est, cum, cui est ecclesiæ ingressus interdictus, ir-

regularis esse, si intra ecclesiam diuina officia celebrauer-

int, nec possit in ecclesia sepeliri. d. c. is cui.

Poterit tamen is, cui est ecclesiæ ingressus interdictus, ec-

clesiam ingredi, & in ea orare tempore, quo diuina officia

non celebrantur, secundum Ioan. Cald. in tract. de eccl. inter-

dicto. in 2. vers. nunc queritur. Ancha. Domin. & Fran. in d. c. is,

causatur & de excommunicato diximus prima huius operis par-

te §. 3. num. 7. vnde constat, etiam hunc interdictum ingressu

ecclesiæ non posse diuina officia intra ecclesiam audire, li-

cet ex ea auditione irregularis non sit. c. is cui supra eod. tit.

Hic autem interdictus ingressu ecclesiæ, si poenituerit,

poterit sepeliri intra ecclesiam, text. expressus in d. cap. is cui.

vbi Ioan. Andr. Fran. & Docto. fatentur, posse in articulo

mortis hoc interdictum remitti à quocunque sacerdotis, vel

sufficere quod quis decesserit cum signis contritionis, &

penitentia, vt non obitate interdicti sepeliri possit in ec-

clesia, absque alia solenni interdicti reuocatione aut remis-

sione. Quod maximum exhibet argumentum, prædictam

constitutionem loqui de interdicto ingressu ecclesiæ propter

contumaciam, quasi dici possit, hunc interdictum ingressu

ecclesiæ posse sepeliri intra ecclesiam, cum id interdictum

in criminis poeniam fuerit pronuntiatum, ex eo, quod mor-

te finitur poena delicti, vt in hac specie notat Ioan. Ber. præ-

sentul Callahor. in practica criminali. cap. 121. ego sane compertum

habeo, etiam in poenam criminis posse quem priuari eccl-

esiastica sepultura, ita vt hæc poena mortuo sit inferenda, eti-

am si is poenituerit, quem admodum ex cap. cum ad monasterium. §.

1. de sit. reg. c. cap. quoniam de vsuris. isto libr. & alius probare co-

notati sumus libro 2. variat. resolut. capit. 1. num. 11. idcirco non me

cogit prædicta ratio, vt hanc sententiam probem, præsertim

quod propter criminis grauitate possit corpori mortui po-

ena iniungi. c. mulier. 15. q. 1. d. vlt. ff. ad leg. Jul. Maies. c. accusatus. §. pen-

de her. it. lib. atque ideo non omnino crimina morte extin-

guuntur quoad poenam corporis. fateor tamen, iudicem eccl-

esiasticum & canonem alicui interdicentem ingressu eccl-

esiæ, eam mentem habere, vt si ob contumacia hanc po-

enam inderit, velit ecclesiastica interdiceret sepultura, vbi

interdictus huius contumacia non poenituerit: at si ob cri-

meniam commissam, ac remissam, noluerit hunc interdi-

ctum carere sepultura ecclesiastica, ne tanta ignominia &

actura forsitan ob culpam non ita grauem afficiatur. hunc

sententiam opinor esse sensum illius responsi in d. c. is cui.

Hinc apparet, interdictum ecclesiasticum in personam

posse ferri quoad certum actum, aut quoad certam peculia-

remque actionem ordinis, siquidem poterit ferri ad hoc, vt

quis interdicatur celebratione missarum, ingressu ecclesiæ,

aut collatione sacramenti poenitentia, quod notat per text.

vbi Ang. in c. significauit de corpore vitiar. Cald. in tract. de eccl. inter-

dict. fol. 5. col. 2. Dec. in c. sane. num. 4. de offic. delega. nec video in hac

re posse quidquam controuerti, etsi omnino sit memoria

commendandum quoad ipsius interdicti vim & effectum, ne

quis existimet semper vniuersale constitui, & præterea, vt

consideremus, qua ratione sit distinguendus sacerdos sus-

pensus simpliciter ab officio, à sacerdote, qui interdictus sit

ingressu ecclesiæ, & alia particulari ordinis sacerdotalis

actione.

Prius tamen quam distinctionem interdictorum ecclesi-

asticorum, & præscriptam distinctionem exponamus, adno-

tandum est, interdictum \* ecclesiasticum decerni posse ad

uersus innocentes, & in eorum dampnum, ac præiudicium

ob alterius culpam. nam licet hæc censura poena sit eccl-

esiastica, proprie spiritualis non est, quippe que animam non

afficiat, nec priuet communionem suffragiorum ecclesiæ, sed

tantum suspendat diuinorum officiorum, & sacramentorum

celebrationem, que quidem suspensio directe animam non

ligat, nec afficit, quomobrem probauimus lib. 2. variat. resolut.

cap. 8. num. 10. posse interdictum ferri contra innocentes ob

alterius culpam, quia hæc poena spiritualis non est, licet

glossa in d. cap. si semenia. in verb. interdicti, eam spirituales poenâ

appellauerit. est siquidem receptum, posse aliquam ciuita-

tem interdicti celebratione diuinorum officiorum, & sacra-

mentorum collatione ob vnus culpam, nempe illius, qui

dominus loci sit, & in eo iurisdictionem habeat tempora-

lem, aut seculari. text. in cap. non est vobis. de sponsal. cap. si semenia.

in d. c. d. K k 2

mun-

interdicti, nec totum populum, obtentum est, vt notat Ioan.

Mon. in pragmatice sanctione, tit. de interdictis indifferenter non ponendis,

in verb. priuata. nisi id fiat speciali commissione Roma Pontifi-

cis, quæ magna cum difficultate solet concedi, & in hunc

modum, vt primo interdictum decernatur in ecclesiam pa-

rochiale aduersarij, & simul in alteram ecclesiam paro-

chiale, vel collegiatam, demum crescente contumacia in

duo monasteria, vel ecclesiis collegiatis, deinde non resis-

tente contumase, tota diocesis supponitur interdicto, &

adhuc illius corde indurato cathedralis ecclesia interdicti

tur, sicuti testatur Ioan. Staphileus de literis grat. & iust. Florent.

156. col. 2. scribens, cathedralem ecclesiam nulquam censeri

interdictam, etiam si in totam diocesim, & in omnes ciuitatis

ecclesias sit interdictum decretum ex ratione text. elegantis

in c. quamuis. §. quoniam. de preb. in 6. quasi ille text. probans in

literis ad beneficia ecclesiastica non contineri ecclesiam ca-

thedralem appellatione ecclesiarum ciuitatis, aut diocesis,

in qualibet odiosa dispositione itidem locum obtinere, quod

præter Doctorem ibi adnotarunt Compostellanus in c. Capitulū,

vers. idem queritur, de rescript. Oldra. cons. 185. Rota. Antiqua. 55. idem

Ioan. Stephilus de literis gratie. fol. 61. col. 1. Felin. in c. in nostra,

corol. 39. de rescript. idem Felin. in c. postulasti, eo. tit. num. 4. Ioan. de

Selua de beneficio. 3. part. q. 11. qualia. 21.

Illud vero est omnino inquirendum, an ecclesiasticum in-

terdictum possit iure ordinario decerni in aliquam ciuitatem,

aut populum ob debitum pecuniarium, nempe ob contum-

aciam domini vel episcopi illius loci commissam in detine-

ndo æs alienum, & sic in debito pecuniario non soluendo?

Nam tex. in cap. de rescript. de iureiur. vt ibi notant Abb. & alij,

probant, posse ciuitatem, & prouinciam interdicti diuinis

officiis ob contumaciam ipsius domini, vel rectoris commis-

sam, in nummis alteri debitis non soluendis, nihilominus à

Bonifacio octauo statutum est in constitutione: Prouide at-

tendentes, inter extranea communes, sub hac rubrica, quod in-

terdictum ecclesiasticum nequaquam decernatur ob debitam pecuniam exi-

gendam, cuius constitutionis meminere Abbas & Felin. in dict.

cap. ex rescripto. & plerique alij statim citandi, eamque seruari

iussit inuictissimus Hispaniarum Rex Carolus Cesar, Pintia

anno 23. cap. 11. & rursus anno 25. Toleti. cap. 24. quam ipse in-

municata, aut denunciata, seu in ecclesia publicata, ac domini, seu rectores, vel officiales ipsorum locorum auctoritate iudicis requisiti huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecissent, aut ad satisfactionem compulerint, qua etiam post biduum cuncta recedente, vel satisfaciente, mox diuina restitui possint. haec tenus Basiliensis Synodus prae oculis semper habenda, vt ex ea iudices ecclesiastici percipiant, quanta cum maturitate consilij sit ecclesiasticum ferendum interdictum.

6 His denique elucidatis, oportet ex ipsa diffinitione colligere, quandoque ex generali interdicto personas, quandoque locum ipsum diuinorum officiorum celebratione interdicti. & hoc ipsum plurimum refert, siquidem vbi locus tantum est interdictus, illius loci habitatores, & incolae, qui culpabiles non sunt, possunt extra locum illum diuina officia audire, & sacramenta percipere. textus qui hoc aperte sime probat in dict. capit. si sententia. versic. ceterum. & eadem ratione poterunt in ecclesia extra locum interdictum sepeliri, vt asserit Fredericus consil. 121. Forlan & haec Frederic. sententia obtinebit, etiam in ipsomet interdicto, vt extra locum interdictum possit is sepeliri, cum & si ob culpam foret ecclesiae ingressu interdictus, posset in loco sacro sepeliri, si decesserit peccatorum poenitens iuxta textum cap. si qui. eod. tit. cuius paulo ante intellectum adduximus.

Quod si personae fuerint interdictae, etiam, vt ciues alicuius urbis, non poterunt dum illius habitationis domicilium habent, diuina officia audire, nec sacramentum percipere alicubi, licet locus interdictus non sit, nisi interdicti abique eorum culpa transferunt domicilium habitationis in aliam villam aut ciuitatem. textus sic intelligendus secundum Ancha. Fran. & Docto. in d. c. si sententia. versic. dum vero. supra isto tit. quem & nos in hunc sensum explicuimus, lib. 2. variat. resolut. c. 8. col. vii. quo in loco ad eius interpretationem per translationem aliquot tradidimus, quae lector poterit his adiungere.

Est autem ad haec animaduertendum, quod interdicto clero alicuius urbis, non intelligitur populus ipsius urbis interdictus, nec interdicto populo censetur clerus interdictus, vnde vno horum interdicto, alter ad diuina officia & sacramenta est admittendus. text. in dict. cap. si sententia. in princ. quamobrem erit cautissime obseruandum ipsum interdictum, quoad eius sensum & verba, quo vere percipiamus, sitne interdictus locus, an loci homines & personae, atque ideo sunt in specie aliquot adnotanda.

Primum, quod interdicto clero alicuius ecclesiae non censetur ipsa ecclesia, & ipsius locus interdictus, imo poterunt diuina officia intra ecclesiam celebrari. gloss. communiter recepta in d. c. si sententia. per tex. in c. per exemptionem. de priuilegio. isto lib.

Secundo hic est adnotandum, non censeri locum interdictum, vbi eius communitas, collegium, aut vniuersitas interdicta fuerit. nam personae in hoc interdicto, non locus comprehenditur. quod personae sint in hac specie interdictae, probat eleganter text. in dict. capit. si sententia. §. cum vero. exemplum ponens in populi interdictio, quod locus non sit ex hoc interdictus, probari poterit ea ratione, quia interdicto loco, personae non censentur interdictae, vt in §. ceterum. sub eodem cap. si sententia. ergo sic a contrario interdictis personis, locus non debet censeri interdictus. sic sane hanc opinionem tenent Ioan. And. & Cald. Ioan. Calderini pater, in dict. cap. si sententia. & collector priuilegiorum mendicantium. in verb. interdictum. 3. §. 13. quibus accedit maxime textus in cap. 1. de usuris. isto lib. vbi distinguitur interdictum collegij, aut vniuersitatis ab interdicto locorum, aut ab interdictis locis. Hec tamen opinio dubia ex multis constituitur. & primo ex eo, quod si vera esset, facillime interdicto ecclesiastico fraus fieret, cum seruari commode non posset interdictis exclusis, qui a loco ob eorum multitudinem excludi non possent. Est praeterea aduersus praedictam opinionem textus optimus in capitulo quod nonnulli. de priuilegio. vbi probatur, iure veteri communi considerato non potuisse celebrari diuina officia, etiam interdictis, & excommunicatis exclusis, etiam ianuis clausis in loco, cuius communitas fuerat interdicta: igitur constat, interdicta communitate alicuius loci, ipsum locum interdictum censeri. alioqui posset in eo loco celebrari ianuis clausis, saltem interdictis & excommunicatis exclusis, atque ita Frederic. de Senis in consilio 188. asseruit, interdicta communitate alicuius loci, non tantum personas, sed & locum ipsum censeri interdictum.

eius obiter nos meminimus in dict. capit. 8. lib. 2. variat. resolut. col. vii. sic & in hac quaestione tutius esse, quod in loco feruetur interdictum, & quod locus ipse iudicetur interdictus, responderunt Calderi. de ecclesi. interdict. fol. 4. col. 2. Franc. in dict. cap. si sententia. col. 1. Florent. 3. part. tit. 26. cap. 3. col. 3. & Syluest. in verbo. interdictum. 2. quest. 8. quorum opinio propter mentem interdicentis, & praesumptam eius voluntatem mihi magis placet, & tutior videtur in eo casu, quo vniuersitas, quae interdicitur, generaliter ipsum locum representat, & eum habitat maiori ex parte, nec potest commode inde expelli, vt liber maneat locus ad celebrationem diuinorum officiorum: quae difficultas, & eius ratio obuenet, quoties secularis vniuersitas interdicatur.

Tertio est notandum, populo aut ciuibus interdictis singulares populi, & ciuitatis personas interdictas censeri, quod satis aperte probat textus in dict. cap. si sententia. §. cum vero. cui opponitur textus in l. ciuibus. ff. de rebus dubis. l. si. §. si quis. ff. quod cuiusque vniuers. nomi. cap. Romana. §. vltimo. supra isto iud. quibus ex locis apparet, ciues, & populum, vniuersitatem, quandamque personam fictam representare, non veram. Igitur illa ficta persona, quaecumque ea sit, interdicta est, non autem singulares vniuersitatis personae. quod si dixeris, hoc procedere quoad vnius corporis ficti representationem: non tamen ex hoc sequi sub eo corpore minime contineri singulos ipsius vniuersitatis homines, atque ideo eos censeri interdictos, siquidem ciuitas nihil aliud est, quam ipsorum ciuium collectio, ipsosque ciues, ipsam ciuitatem, & vniuersitatem, efficere, secundum Card. in cap. requisiti. de testam. tradit Bartol. in l. aut facta. §. vii. ff. de penis. Ludouic. Lufita, in dict. l. ciuibus. col. 6. probat textus in l. ciuitas. ff. si certum petat. l. ciuitates. ff. quod cuiusque vniuers. nomi. l. omnibus ciuibus. ff. ad Trebellian. testis & ipse Cicero est de somnio Scipionis: Ceterum, inquit, hominum iure sociati, quae ciuitates appellantur, idem pro seipso, conuenientia hominum, quae postea ciuitates nominatae sunt. Aristot. item lib. 3. Polit. cap. 1. dixit, ciuitatem esse ciuium multitudinem. Deducam inde, non posse subsistere eiusdem cap. si sententia. alterum responsum. dum in §. ceterum. constituit, interdicta ciuitate, locum ipsum, non ciues censeri interdictos, nisi eos, qui culpabiles sint. qua ratione est in hac controuersia notandum, ciuitatem, castrum, villam, aut oppidum proprie assumi pro ipso loco ex ratione materiae subiectae, quia interdictum ecclesiasticum cadere, & decerni potest in locum ipsum, prout materia quaedam est continens aedificia, & alia, quae necessaria sunt ad hominum habitationem. sic & in eadem quaestione populus proprie non pro ipso loco, nec pro ficta persona, sed pro ipsius singulis loci habitatoribus in hac eadem parte assumitur. nam licet alias singuli de vniuersitate non faciant, nec constituant vniuersitatem, nec quod competat vniuersitati, competat omnibus vt singulis. l. sed si haec. §. qui manumittitur. ff. de in ius vocando. cap. qui manumittitur. 1. 2. quasi. 2. tamen ab hac propria vniuersitatis significatione receditur ratione propositae, ac subiectae materiae, ne alioqui interdictum in vniuersitatem decretum inane sit, & absque villo effectu, quemadmodum asserit textus in dict. cap. si sententiam. §. cum vero. ex quo colligitur secundum Franc. ibi, quod vbi poenalis constitutio aut dispositio proprie intellecta inutilis foret, erunt verba illius improprie intelligenda. cuius textus ad hoc ipsum meminere Abbas in cap. pastoralis. 2. col. 2. de appellat. idem Abbas consilio 32. libro 2. c. consilio 62. col. 3. eodem libro. idem Abbas in cap. veniens de cognat. spirituali. Corset. in singul. dictione, in verbum. nam interdictum latum in populum, aut in aliquam vniuersitatem, si esset proprie intelligendum, vt personam fictam, & representatam afficeret, profecto nullius foret effectus: idcirco decium est, censeri hoc interdictum ipsos singulos de vniuersitate ligare. His accedit, quod notant Socinus & Lufita. in dict. l. ciuibus. tenentes legatum factum ciuibus non acquiri Reipublicae, quoties Reipublicae legari non poterat, aut legatum ei non conueniebat. ita sane illud Iurisconsulti responsum ibi interpretantur ipse Socin. Ludouic. & Lufita. col. 6.

Quarto hinc constat, interdicta ciuitate, villa, aut castrum, ipsum locum, non ciues ciues, aut habitores interdictos censeri, quia ex ipsius aetis conditione, quae dicitur, interdictum plerumque loco conuenire, & in eum decerni, non in personas, deducitur hoc in casu ad locum, non ad eius incolas, esse referendum. notat Calder. in tractat. de ecclesi. inter. folio. 3. col. 4. post gloss. & Docto. per textum ibi

In d. si sententia §. ceterum. notant Cardin. Abbas, & Doctores, in cap. ultimo contra gloss. ibi, de excess. pralat. idem docet Syluest. in verbo interdictum. in princip. tradit Felinus in cap. Rodolphus. de rebus interdictum. in princip. & 12. versic. ceterum. & tamen in dicta ciuitate interdicti censentur ciues in ipsius interdicti causa culpabiles, quod idem Cald. notat in d. 4. colum. cui ceteri hanc materiam tractantes accedere videntur, auctoritate rex. in d. ceterum.

Quinto his addendum erit, interdicto clerico ceteri interdicos non tantum clericos seculares, sed etiam religiofos, & vere conuersos, secundum communem in d. c. si sententia. Calde. in d. colum. 3. Flor. in 3. part. tit. 26. cap. 3. & Syluest. in verbo interdictum. 2. quasi 8.

Sexto hinc ipse infero, quod interdicta cathedrali ecclesia canonici ipsius non censentur interdicti a Deo, vt extra ecclesiam possint ipsi canonici, non tantum vt singulis, sed & vt Collegium celebrare alta voce, & cum solennitate, quemadmodum eleganter notat Cardin. in c. vi. de excess. pralat. cuius opinionem late probat Paul. Paris. in cons. 27. lib. 4.

Septimo patet ex iuris pontificii responsis, interdicta ciuitatis, interdicta itidem ceteri eius suburbia. tex. in cap. si ciuitas. §. si tu. eius decisionis dubitatio ex eo deducitur, quod appellatione ciuitatis alicuius minime alioqui suburbia continentur. nam quod liquide §. si ita. ff. de penu. legat. l. 2. ff. de verb. significat. liquide ciuitas, castrum, villa, & oppidum proprie id significant, quod ambitu murorum continentur. idem praeuenit tex. in d. si ciuitas. vbi Doctor communiter hoc adnotant, & praeter eos Abb. & Felin. in d. c. Rodolphus. colum. 1. ex quibus haec distinctio colligitur, quod si mentio fiat alicuius ciuitatis nomine proprio, & sublatiuo, veniant in eam appellatione suburbia & continentia edificia, vt Roma, Toletum, Pintia, Hispalis, & his similia. si vero mentio fiat ciuitatis alicuius sub nomine appellatiuo, & adiectiuo in hunc modum, vrbs Toletana, tunc tantum veniat, quod murorum ambitu clauditur, quae differentia deducitur ex d. l. 2. §. l. vr. Alphenus. ff. de verb. significat. d. l. nam quod liquide. §. si ita. & haec est communis opinio, quam tenent Ioan. And. & Domini. in d. c. si ciuitas. Doct. post gloss. Azonis in d. l. 2. & Felin. in d. c. Rodolphus. col. 1. diuocis tamen additis, quod haec distinctio in vltima parte minime procedat in vrbe Romana, quae etiam his verbis nuncupata continentia edificia, & suburbia comprehendit. gloss. Accur. Bartol. & alii in d. l. 2. maxime Barth. Cepola. nu. 74. item quod in aliis ciuitatibus procedat praedicta communis distinctio, quoties nomen appellatiuum praecedit, si vero sequatur hoc sane modo, in Toletana vrbe, tunc etiam continentia edificia & suburbia continentur. argumento sumpto ex l. si communis seruus. ff. de stipulat. seruis. sic tenuerunt Azo. Raynerius, & Bartolus. in d. l. 2. idem Bartolus in l. vxorem §. legat. ff. de lega. 3. §. in d. si seruus communis. §. in l. more maior. in fine. ff. de iurisdictione omnium iudicum. tametsi Oldra. Dynus. & Alberic. in d. l. 2. ex Accursio ibidem & Baldo in d. c. Rodolphus. col. penult. vtroque casu velint, continentia edificia & suburbia comprehendit, atque haec solent latius tradi ad multa, quae in specie contingere possunt in testamentis, & in contractibus, aliisque iuris, & privilegiorum, ac beneficiorum principis dispositionibus. Ego tandem vt huius difficultatis in genere rationem exponam, & aperiam sensum d. c. si ciuitas. pauca hoc in loco subiiciam, quibus lector cognoscere valeat, vnde haec disputatio habuerit originem, quae uel tutior via ad eius resolutionem.

Primum equidem, etiam si, auctore Nonio Marcello, vrbs locum, & aedificia significet, ciuitas autem ipsorum ciuium collectionem I. pupillus. §. vrbs. ff. de verb. significat. l. 2. eod. tit. Archid. in c. vrbs. 80. dist. 1. adiuuatis his, quae de ciuitate paulo ante diximus: quandoque tamen ciuitas dicitur eo sensu, quo locus & aedificia muris circumdata significantur. text. in d. c. si ciuitas. l. singulorum. C. de ad. si. priuat. l. 3. §. si quis. C. de nat. lib. Bart. & Capol. in d. l. 2. q. 3. num. 11.

Secundo adnotare libet, vrbs & ciuitatis appellatione huiusmodi appellatiuis nominibus expressis, id solum contineri, quod murorum ambitu cingitur, ita quidem, vt continentia aedificia minime comprehendantur. probatur hoc in d. l. 2. §. in d. c. si ciuitas. idque communi omnium iudicio concessum est, & notat Petrus Crinitus, lib. 2. de honesta disciplina. c. 9. vt sequentem subiungit assertionem.

Tertium his adicitur, quod Romae appellatione, & sub hoc substantiuo, proprioque nomine etiam suburbia & co-

tinentia aedificia continentur. ita sane Iuriconsultus asseruerat in d. libr. 2. §. in d. l. vr. Alphenus. ff. de verb. significat. de ubi. nam quod liquide. §. si ita. quo in loco idem probatur in eo casu, quo vrbs Romae mentio fiat, quasi idem sit vrbs Romae, quod Roma. & hoc idem est apud omnes constitutissimum.

Quartum aduersus vulgo receptam sententiam pronunciamus, vrbs Romanae appellatione, id tantum, quod muris cingitur, contineri, qua de re auctoritas est apertissima in l. de vr. Alphenus. inquit enim Marcellus lib. 5. ff. vt Alphenus ait, vrbs est Romana, quae muro cingitur: Roma est etiam, qua continentia essent. sic Andre. Alcia. in d. l. 2. huic opinioni palam consentit communem improbens.

Quantum hinc & illud constituam, maximum scilicet esse discrimen inter vrbs Romam, & alias vrbes. Roma etenim & vrbs Roma, continentibus aedificiis ac suburbis finitur, & circumscibitur: reliquae vero vrbes muris tantum finiuntur. huius assertionis manifestissimus auctor est Paulus Iuriconsultus in dict. leg. nam quod liquide. §. si ita legatur. ff. de penu. lega. his verbis, & quidem vrbes fere omnes muro finiri, Romam continentibus, & vrbs Romam aequae continentibus. Haec Iuriconsultus, qui plane probat, Romae appellatione ob vsum communem, & excellentiam suburbia, & continentia aedificia contineri, quod speciale esse in vrbs Romae appellatione tenet Gulielmus de Cuneo in leg. 1. §. cum vrbs. ff. de offic. praet. quem Baldus refert in dict. capit. Rodolphus. num. 8. & nihilominus probabilis est communis opinio, quae asserit idem esse in quacunque alia vrbe, quae tamen continentia aedificia, & suburbia habeat, quasi Iuris, consultus in dict. §. si ita. velit, ac sentiat vrbes reliquas non habere continentia aedificia, nec suburbia, & ideo muris finiri: Romam autem & continentibus, ac suburbis limitari; quia illa habeat, si iuxta sensum istum ad facti, non ad iuris quaestionem respondet Paulus, & deinde asserit, fere omnes vrbes continentia aedificia non habere, quod ei non potuit ita certum & cognitum fuisse, vt illud in vniuersum assereret. tandem Andr. Alcia. in dict. leg. 2. hac in parte communem fecutus, idem probat in ceteris vrbsibus, quod de Roma a Iuriconsultis traditum extat. quamobrem sequentem proponimus conclusionem.

Sextum deducitur ex proxime adnotatis, quod appellatione cuiuslibet vrbs expresso nomine substantiuo, & proprio, etiam suburbia, & continentia aedificia continentur, vt quod de Roma diximus, & in aliis dictum esse intelligamus. hoc enim communi sententia receptum est.

Septimo inferitur, denique appellatione cuiusque vrbs nomine adiectiuo expresso non contineri suburbia, sed tantum id, quod muris cingitur. textus in dict. l. vr. Alphenus. ff. de verborum significat.

Octauo, mihi satis constat, nec aliud potest persuaderi, nihil referre ad propositam quaestionem, quod nomen appellatiuum, vel proprii adiectiuum praecedat, an sequatur, nec enim alium sensum habet haec oratio: Toletana ciuitas, quam illa, ciuitas Toletana. siquidem non ita temere de humanis ingeniis, & iudicis censendum est, vt opinemur, posse cuique rem istam serio, & mature consideranti persuaderi, sub priori conceptione verborum contineri suburbia, & continentia aedificia, at non ita sub posteriori. Vana profecto sunt, & nullius ponderis isthaec interpretamenta, cui adiectiuum illud, Toletana, siue sequatur, siue praecedat, substantiuo accesserit demonstrationis loco: sic & communem opinionem in hoc Alcia. reprobatur in dict. leg. 2. non obstat textus in leg. si communis seruus. quia inibi est admodum distincta ratio, ex eo, quod nomina secundo loco posita pertinere videantur, & demonstrationem tantum, priori vero parte expressa causa finali, & principali sunt tribuenda. Quamobrem ibi multum refert, quod nomen praecesserit, proprium an appellatiuum, nec de nomine adiectiuo in eo Iuriconsulti responso tractatur, quod satis manifestum est.

Nono quidquid sit de hac disputatione, vere illud est tenendum, potissime considerandam esse subiectam materiam, statum & qualitatem, ac conditionem loquentis, vt in de valeamus liquido percipere, quae fuerit eius mens, an intellexerit sub ciuitate suburbia, & continentia aedificia, an tantum id, quod muris finitur, & cingitur: haec enim resolutio colligitur ex his, quae in d. c. Rodolphus. col. 1. §. 2. Doct. in d. 2. vt Barth. Cepola, quasi 2. text. ad hoc singula in d. c. si ciuitas.

Decimo ex his aperitur vera ratio ad decisionem d. c. si ciuitas. nam licet alioqui appellatione ciuitatis tantum contineatur id, quod iuris cingitur, nec veniant suburbia, & continentia adificia, tamen interdicta ciuitate, censentur & suburbia interdicta, ne interdicto ecclesiastico facillime fiat illulio, quae contingeret, si interdicta ciuitate, possent diuina officia in suburbiis celebrari. quam rationem exprellim explicat Romanus Pontifex in d. c. si ciuitas, cuius ad hoc meminere Abb. & Fel. 2. col. in d. c. Rodolphus. Alexand. in d. l. 2. ff. de verb. significat. Ita in l. fin. colum. vlt. C. de succes. edit. Abb. in c. vltimo de preb. colum. 2. Socin. & Ludou. Lusita. in d. l. vltibus. ff. de reb. dub. 7. & 8. colum.

Ex quibus patet verus intellectus ad regiam. l. 6. tit. 33. part. 7. quae probat, appellatione ciuitatis suburbia contineri. nam licet lex illa velit, hoc esse regulare, nihilominus accipienda est eius responsio in his casibus, quibus iure comuni diximus, appellatione ciuitatis suburbia contineri, ne alioqui existimemus per eam constitutionem tolli tot iurisdictionis responsa.

Hinc etiam constat, qua ratione procedat quod Abbas & Fel. in d. c. Rodolphus. scripsere, tenentes, in materia odiosa, & stricta, appellatione ciuitatis suburbia non contineri. hoc nempe à mente disponentis attenda subiecta materia deducitur, quasi aliud dicendum sit in fauorabili materia, vt tunc appellatione ciuitatis contineantur suburbia, imo & ipsius ciuitatis comitatus, & vici omnes eidem ciuitati respondentes. Abb. Imo. & Fel. in d. c. Rodolphus. Imol. & Alex. in l. si finis. §. ex hoc edito. ff. de dam. infect. Imo. & idē Alex. in rub. ff. sol. matr. Soc. consil. 86. l. b. 4. text. opt. in l. qui ex vico. ff. ad municipal. cui adde Bald. in leg. si in aliquam. ff. de offi. procons. & leg. Bart. & ibi Capolam, num. 20. in d. l. 2. gl. in c. ego Ludouicus. 63. distinct.

Est tamen intelligenda responsio tex. in d. c. si ciuitas, vt interdicta ciuitate, & suburbia interdicta censentur, etiam si suburbia nō sint subdita illi domino, cuius causa ciuitas interdicitur: etenim & in hoc casu militat ratio eadem, quae in d. c. si ciuitas. exprella est. neq. ita licet ciuitas quoad iurisdictionem, & temporale dominiū subiecta sit illi, cuius culpa interdictum decernitur, suburbia autem alteri, profecto & hęc suburbia interdicta erunt secundum Doct. in d. c. si ciuitas. Fel. in d. c. Rodolphus. colum. 2. post Calder. de ecclesiast. interdict. 2. membro, versic. circa quod quero. qui subdit idem esse, vbi in illa suburbia minime haberet iurisdictionem ecclesiasticam is, qui interdictum decreuit. Nam ex eadem ratione interdicta ciuitate suburbia erunt interdicta, quod est omnino notandum.

Qua vero dicantur continentia edificia & suburbia, vt locus sit huic decisioni, quae de interdicto ecclesiastico Rom. Pontif. constituit, in d. c. si ciuitas. boni viri arbitrio discernendum erit, qui hoc ipsum ex situ loci, ex communi loquendi vsu, & ex aliis estimabit. gl. communiter recepta in d. c. si ciuitas.

Interdictum \* ecclesiasticum, quod in locū fertur, quandoque generale est, quandoq. speciale: generale etenim dicitur, quoties regnum, prouincia, ciuitas, villa, aut castrum interdicitur, speciale autem quando in aliquam ecclesiam, aut parochiam nominatim decernitur, quemadmodū probat text. vbi notat Abb. in c. cum in paribus. de verb. signific. Cald. in tract. de eccles. interdict. 2. membro, colum. 5. Syluest. in verbo, intellectu. l. 4. 3. ad idem text. in c. cum inter. de consue. tradidit preter alios Nicol. Ploutus in tract. de interdict. 1. colum. Flor. 3. part. tit. 26. c. 2. Ioan. in summa confess. lib. 3. tit. 33. q. 222. ex quibus infertur, speciale, aut particulare interdictū dici, cū omnes ecclesie alicuius ciuitatis interdiciuntur, ita vt nihil intersit, singulariter an generaliter omnes ecclesie fuerint interdictae. satis enim est, quod extra ecclesias in eodē loco possint diuina officia celebrari, vt interdictū non dicatur generale. sicut in specie voluit Cald. in d. 2. membro, fol. 3. col. 1. Florent. in dict. c. 2. §. 1. & Syluest. in d. quest. 3. quorum opinio communis est imo dicitur optime interdictum generale, si fuerit populus interdictus, villa, ciuitas, vel oppidum: tamen si in ea ciuitate, villa, vel oppido vnica tantum sit ecclesia, quod ipse ex precitatis auctoritatibus, praesertim Cald. adnotauit. hęc vero distinctio interdicti generalis à speciali, admodum utilis est ad plura, quae inferius in huius capituli examinatione sunt singularim explicanda pro eius perfectiori interpretatione.

His tandem, & aliis, quae hoc in c. adnotantur, manifeste deducitur, plurimum differre interdictū ab excommunicatione maiori, quia excommunicatio priuat communionem fidelium, tam interiori, quam exteriori. interdictum autem

solum priuat exteriori diuino officiorum auditione & celebratione, perceptione sacramentorum, & ecclesiastica sepultura. quae quidem priuatio multis est modis limitata, vt cer excommunicatio. quippe quae damno spiritali eam afficiat. notat discrimen istud praeter alios Ioan. in summa conf. lib. 3. tit. 33. q. 220. sic & excommunicatio minor ab interdicto differt, cum illa non priuet auditione diuino officiorum, nec omnino illorum celebratione, nec sepultura ecclesiastica, iuxta text. & ibi notata in c. si celebrat. de cler. exco. & excommunicatio, ac totidem, in quibus differant, tradit Iacob à Canonibus in tract. de iur. in part. vlt. quorum aliquos glof. Panor. & Doct. in c. ad haec. in vlt. de appellat. & Doct. in c. cui. §. vlt. isto tit. Anania in rub. de cler. excomm. minist. nu. 17. Etiam in c. 1. §. pen. supra eod.

## §. SECVNDVS,

## De interdicto ecclesiastico,

## SYMMARIA.

- 1 Cessatio à diuinis quid sit. Et an suspendatur per appellationem sequentem.
- 2 Irregularis non est qui tempore cessationis à diuinis celebrat officia diuina.
- 3 Irregularis ex quibus actibus quis efficiatur tempore interdicti.
- 4 Interdictum ecclesiasticum an suspendi possit.
- 5 Interdictum ecclesiasticum, an possit ad cautelam remitti.
- 6 Quis possit interdictum, & cessationem à diuinis discernere.
- 7 Qua sacramenta poterant ante constitutionem istam ministrari tempore interdicti, & inibi de infantibus decedentibus absque baptismo.
- 8 Oblati & conuersi qualiter differant?

Interdicto ecclesiastico admodum similis est, & alia iuris pontificij censura, quae cessatio à diuinis nuncupatur. Vera vero est suspensio organorum diuinae laudis in aliquem locum decreta, quae quidem definitio colligitur ex c. irregularis. c. caeteris. de offi. ordin. c. si canonici. c. quatuor. eod. tit. isto lib. c. dilectis. de appell. Innoc. in d. §. caeterum. & ibi Felin. Franc. in d. c. si non. Innoc. & Prax. in c. non est vobis. de spons. 4. col. Cal. de eccles. interd. fol. 2. col. 4. Abb. in d. c. dilectis. Syl. in ver. interdictum. t. quest. 1. ex quibus constat, cessationem à diuinis maxime differre ab interdicto. nam licet cessatio in aliquem locū decernatur, attamen est quid facti, & tantum inducit suspensionem diuino officiorum, nec reddit, aut efficit ipsum locum interdictum: interdictum autem ecclesiasticum est quid iuris, quod precitatis Doctores fatentur, praesertim Panor. & alij in d. c. dilectis. glof. in pragm. sanctio. tit. de pignorant. cultum diuinum in verb. cessatur.

Ex quo infert Panor. in c. dilectis proxime citato. col. pen. cessationem à diuinis per appellationem sequentē non suspendi, quia sit quid facti, interdictum autem ecclesiasticum per appellationem subleuatum suspendi. Hanc differentiam probare videntur Doct. in d. c. dilectis. & Gonfalus à Villadiego de irregula. cap. de interdicto ad fin. est tamen eorum opinio in hunc sensum accipienda, vt cessatio à diuinis post appellationem decreta minime sit nulla ipso iure: cum ad factum pertineat, & ideo effectum habeat, siquidem non obstante appellatione nihilominus à diuinis cessatur. interdictū autem, cū ad iuris effectum spectet, nullum est ipso iure, si post appellationem decretum fuerit. nec enim potuit Panor. adnotare, quod interdictum per appellationem sequentem suspendatur, est etenim in contrarium exprella decisio. in c. ad haec in vlt. de appellat. & in cap. is cui. §. vlt. supra isto tit. & tamen ego non omnino probarem hanc differentiam inter cessationem à diuinis, & interdictum. nam & si videam facta non posse infecta fieri quoad factum ipsum, & ideo cessationem à diuinis post appellationem executioni traditam iam induxisse suspensionem illam organorum diuino, tamen quoad iuris effectum cessatio à diuinis per appellationem praecedentē inanis est, si quos ipsa iuris effectus habet, quod statim tractabitur, sic & in interdicto, imo & in excommunicatione idem erit, quia in his, quae ad factum pertinet, si executione contingat, effectum habent post appellationem hęcensurae latae, in his vero quae ad iuris effectum referri possunt, inanes sunt, & nulla. Igitur haec erit vera differentia, quod cessatio à diuinis nullū, vel paucos inducit iuris effectus. interdictum autem aliquot, excommunicatione plures. atque ita est intelligendum. quod communi omnium iudicio post